

si, reliqua tuæ Prudentia planius intimabit. In columem felicem quæ te Dei misericordia tueatur, domine dilectissime meritò quæ honorabilis ac suscipiendo fili.

EPIST. CCXI.

Augustinus Romulum, potenter hominem, quem in Christo genuerat, obsecrat, ne nimium acerbus & injustus exactor sit tributorum administratoribus suis solutorum, minitans ei, si tyrannicè exigere perget, extremum iudicium.

Domino dilectissimo, Romulo, filio, Augustinus in Domino Salutem.

VEritas & dulcis est & amara. Quando dulcis est, pascit; quando amara curat. Si non recusas bibere, quod in hac epistola offero, probabis, quod dixi. Utinam sicut mihi non obest; sic nec tibi obeset, quicquid contumeliarum mihi irrogas! Et utinam vel tantum tibi obeset iniquitas, quam miseris & pauperibus facis, quantum obest ipsis, quibus eam facis. Illi ad tempus laborant: tu autem vide, quid tibi thesaurizes in die iræ & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua; cuius misericordiam deprecor, ut hic te corrigat, quomodo ipse novit, potius, quam reservet in illum diem, quando nullus jam erit correctionis locus: ut qui tibi dedit timorem suum, propter quem de te non despero, aperiat tibi serum, ut videoas, quæ facis, exhorreas, & emendas. Parva enim & quasi nulla tibi videtur, quæ tam mala sunt, ut quando te domita cupiditas ea considerare permiserit, riges lacrymis terram, ut Deus misereatur tui. Aut si ego iniquus sum, qui hoc tecum ago, ne miseri & egeni homines bis reddant, quod debent, cum coloni actori suo dederint, subditi præposito, & jubenti servientes; nec ille se accepisse negare potuerit; si ergo ego iniquus sum, quia mihi videtur injustum, ut bis exigantur, quivix semel reddere sufficiunt; fac, quod vis. Si autem tu videoas, quia injustum est; fac, quod decet, fac, quod Deus jubet, & ego rogo. Non pro illis magis; [Novit ille, quem timeo!] sed pro te ipso te ipsum rogo, ut, quomodo scriptum est; miserearis animæ tue placens Deo. Et modo quidem non rogandus; sed objurgandus es. Nam & hoc scriptum est: Ego, quem amo, redargo & castigo. Ego tamen, si pro me rogandus es, forte non te rogarem. Quia vero pro te rogandus es, rogo te iratum, * ut parcas tibi, * ut tibi placetur ille, quem rogas.

Misi ad te die sabbati, cum adhuc pranderes, ut non profiscisceretis, nisi me vidisses: & ut audivi, venisti in Ecclesiam, & orasti, & profectus

*v. Posid.
Ind.*

846.
Ad Rom. 2, 8.

s.

8ir. 30, 24.

Apoc. 3, 19.

*placenteris
bi.*

** al. & ui-
bi*

fectus